

## ***IULIUS FEMINAM PULCHRAM IN FORO TUSCULANO ASPICIT***

Iulius in foro Tusculano cum Aemilia ambulat. Ea femina pulchra non est: nam crus aegrum habet, ergo male ambulat, et nasus eius foedus est.

In foro Tusculano multae tabernae et multi tabernarii sunt. Taberna prima Albini est, qui ornamenta vendit. Procul a taberna Albini taberna Lydiae est; ea magna voce clamat: “Emite rosas meas, pulchrae sunt et parvum est pretium earum.”

Iulius audit eam vocem, se vertit atque Lydiam aspicit. Iulius laetus dicit: “O, quam pulchra est illa femina: nasus eius non tam foedus est quam Aemiliae ...” Iulius ab Aemilia auditur, itaque Aemilia irata clamat: “Cur alias feminas vir meus aspicit? Illa pulchra non est! Ad villam reveni, vir stulte”.

Iulius laetus non est, is enim tacet.

Cum Iulius Aemiliaque ad villam reveniunt, vir in villae hortum it et Iuliam cum Syra ludere videt (Iulia, Iulii filia, est parva puella quae nasum foedum se habere putat; Syra est ancilla quae nasum foedum habet). Iulius videtur a Margarita, Iuliae cane, quae ad eum laeta accurrit; liberi eum salutant. Ergo is laetus est, quia familiam pulchram habet. Sed Aemilia irata est.

*Gabriele Lingiardi*